



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 60. Articuli a Decano Parisinæ Facultati propositi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI  
A C 1555

catio indies magis magisque, effervescebat, cum enim Decanus nomine Theodorus Bichy Champron dictus Parisiensis Doctor, ringentibus etiam Canonicis suis, sententiam suam propugnare vellet, Facultatis Theologicae Parisiensis judicium expetebat circa quæstionem, quæ huic disceptationi ansam præbuit, eique etiam plura alia subjungebat dubia, circa quæ pariter Doctorum sententias rogabat: itaque ad Decani preces Facultas hac super re delibera-tura die decima octava Aprilis in Col-legio Sorbonico conventum habuit.

### §. LX.

#### *Articuli a Decano Parisinæ Facultati propositi.*

*Argentre  
Collett. inde  
de novis err.  
tom. 2.  
p. 195.*

Porro Decani petitio tribus circum-scribebatur articulis, quorum pri-mus his verbis exponebatur. „Inva-luit in hac Ecclesia diversus cultus, „qui tamen haud adeo decens videtur, „quamvis enim omni tempore nonnulli „præstantioris etiam conditionis Eccle-siastici, Canonici, & pueri choro assi-stentes ad Sacræ Hostiæ elevationem „genua flectant, alii tamen sub fictitiæ „confuetudinis obtentu uno genu, alii „utroque genu supra suum sedile imposito „Sacramentum haud majori reverentia, „ac si erecti stetissent, adorant. Equi-dem

„dem Decanus hisce exposuit, quod com- Sæcul. XVI.  
 „mentitia hæc consuetudo juri Cano- A.C. 1555.  
 „nico in c. Sacr. extra de celebratione Mis-  
 „sarum aduersetur, cum ibidem disertis  
 „verbis præcipiatur, ut Presbyter doceat  
 „plebem, quatenus se reverenter inclinet, (\*)  
 „Canonici autem genua hoc modo se-  
 „dibus suis imponentes nec se inclinant,  
 „atque exiguum omnino reverentiam  
 „exhibent: Igitur omnes se profunde  
 „inclinant, prout fieri solet ad oratio-  
 „nes, & ad illa verba: *Flectamus ge-*  
 „*nua;* quippe eo major Sanctissimo Sa-  
 „cramento debetur cultus, quo majori  
 „adversa ejusmodi consuetudo imbe-  
 „cillioribus offensioni est, cum cernere  
 „cogantur, quod illi, qui ceteris tamen  
 „virtutum exemplo prælucere deberent,  
 „modo adeo minus decenti Sanctissimam  
 „Eucharistiam honorent., Hanc in rem  
 Decanus, ut suam sententiam propu-  
 gnaret, plura juris Pontificii testimo-  
 nia proferebat.

## U 5 Alter

(\*) Minus exakte Decanus allegabat jus  
 Canonicum: ast haud obscure deprehenditur,  
 quod potius respexerit ad Canonem *Sane De-*  
*cretalium 1.3. tit. 41. cap. 10.* ubi hæc legun-  
 tur: *Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem*  
*suam, ut, cum in celebratione Missarum ele-*  
*vatur hostia salutaris, se reverenter inclinet.*

Sæcul XVI.

A C. 1555.

Alter articulus ejusdem Capituli  
 confuetudinem respiciebat, quam his  
 verbis Decanus Facultati proponebat.  
 „Si forte quisquam in Matutinis laudi-  
 bus, vel in Missæ Sacrificio, aut Divi-  
 no Officio errorem committit, ceteri  
 „retro post Altare, quod in choro est,  
 „secedunt, ut ibi absque cantu Officium  
 „absolvant. Verum, inquietabat Decanus,  
 „juris dispositione prohibitum est, ne ab  
 „officio abs caussa legitima, & evidenti  
 „cessetur; nihilominus econtra nonnul-  
 „li contendunt, quod satius sit, post com-  
 „missum errorem omni ab Officio cessa-  
 „re, & privatim retro post Altare per  
 „quinque, vel sex Clericos properanter  
 „Officium recitare, quam cum solemni-  
 „tate, ac reverentia illud in choro ab-  
 „solvere. Quinimo veterem hunc quo-  
 „que morem nonnulli sequuntur, si Ca-  
 „nonicorum quisquam in Invitatorio,  
 „vel Matutino errat. Alii vero afferunt,  
 „quod juxta sacra decreta Officium cum  
 „solita solemnitate recitandum sit, Ca-  
 „nonicorum autem errores ab alio Sa-  
 „cerdote suppleantur, prout cautum est  
 „in veteri quadam statuto auctoritate  
 „Apostolica confirmato, quod transgre-  
 „di haud licet, unde magis erit conve-  
 „niens, ut pecuniaria multa errantes  
 „pletantur, ac officium more solito con-  
 „tinuetur. „

Tertius

Tertius Articulus concernebat cor- Sæcul.XVI.  
 poris situm, quo Canonici assisterent, A.C. 1555.  
 quando hæc verba: *Et homo factus est:*  
 in Symbolo decantantur: „agebatur er-  
 „go, an pedibus erecti permanere va-  
 „leant, nec genua flectere cogantur. Ad  
 „hoc autem Decanus ita perorabat:  
 „Quamvis Sacerdos rem divinam per-  
 „agens unacum suis Ministris, atque no-  
 „biliarum Clericorum, & Canonicorum  
 „potissimum, qui in interiori choro sedent,  
 „necnon ipsimet pueri choro assistentes  
 „ad illa verba: *Et propter nostram salu-*  
*tem Homo factus est,* semper in genua  
 „procumbant, nihilominus non desunt,  
 „qui non solum genua flectere renuunt,  
 „sed etiam id tanquam legem publicam  
 „respiciunt, qua omnibus etiam Decano  
 „sit prohibitum, ne durante Sacrificio  
 „genuflectant, quamvis id celebrantis  
 „Sacerdotis Ministri faciant. Alii ex  
 „adverso contendunt, quod omnes, cum  
 „celebrans, aliquique Canonici, imo & pue-  
 „ri ad Aram ministrantes genua flectant,  
 „etiam sese laudandæ huic, ac univer-  
 „sali confuetudini accommodare te-  
 „neantur, prout id expressum habetur  
 „in rationali Divinorum officiorum, ubi  
 hæc leguntur, *debemus flectere genua, cum*  
*dicitur: Propter nostram salutem Homo*  
*factus est, quia Dei Filium pro nobis homi-*  
*nem factum, & crucifixum adoramus.*

## §. LXI.